



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Centvriæ Selectorvm Casvum Conscientiæ. I. II. III.tia**

**Burghaber, Adam**

**Fribvrgi Brisgoiæ, 1665**

37. Gelasivs licet vinum congelatum consecrando peccârit mortaliter, quod resolvere prius vel mutare debuerat: validè tamen illud consecrauit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40942**

rum. Vtrum autem pater tali casu præsumendus sit, velle condonare ac remittere, vt in partem hæreditatis malè absumptæ connumerari non debeant, quæstio est facti ex circumstantiis prudenter dijudicanda & examinanda, v. g. an parens liberalis & valdè affectus fuerit erga Gaudentium: an verò tenax & seuerus, vt si sciret, ita insumpta fuisse, nullo modo condonaret filio; præcipuè enim casus iste in foro conscientiæ locum habet, si pater & fratres nesciant, pecunias à Gaudentio malè inutiliterque fuisse absumptas, tunc enim prudentis viri iudicio ex circumstantiis iudicandum est, quænam fuerit mens patris; alioquin si pater & fratres sciant, pecunias malè expensas fuisse, & non repetant, censentur condonare. *Arque sic etiam patet ad rationem opinionis contrariæ.*

XXXVII. *Gelasius Sacerdos hisce diebus aterrimè frigidis cum in sacro ad consecrationem pervenisset, infusum calici vinum advertit congelasse, idque nihilominus consecrauit. Queritur. 1. Rectène fecerit Gelasius? 2. Si malè, quid facere eum oportuerit? 3. An saltem validè consecrauit?*

Videtur Gelasius & illicitè & invalidè cōsecrasse. Ita Ioã. Caramuel in *Theol. fundamentali fund. 67. §. 1. n. 1325*. Ledesmam, Alanū, Armillam & nonnullos secutus. Idem tenet novissimè Lessius in *3. P. q. 74. art. 5. n. 24*. Ratio est. Tam quia vinum congelatum non est potabile.

tabile. Tum quia vinum vis adhuc inclusum est ineptum consecrationi: item aqua congelata inepta habetur baptismo. Ergo & vinum congelatum non est idoneum consecrationi.

Resp. 1. Gelasium peccasse mortaliter cōsecrando vinum congelatum. Ita fere omnes sentiunt Doctores, vt testatur Palao *Tr. 21. D. vnic. pun. 4. n. 8.* Ratio est, quia in re graui à communi Ecclesiæ consuetudine recessit, & periculo non conficiendi Sacramenti se exposuit. Resp. 2. Gelasium vel resolvere prius debuisse vinum congelatum, si facilè potuit, nullaque accidentium mutatio apparuit: vel illud mutare, si penitus congelatum sit, ac de nouo offerre, vt cum alijs docet Layman. *l. 5. Tr. 4. c. 2. n. 5.* Resp. 3. Gelasium validè nihilominus consecrasse. Ita Suarez, Coninck, Præposit. Layman, Palao, Dicastillo *Tom. 2. de Sacram. Tract. 4. D. 2. d. 5. n. 86.* & plerique alij. Ratio est, quia materia consecrationis est vinum. Atqui vinum congelatum absolutè & simpliciter est vinum, cum plerumque huius substantia maneat, vt ex resolutione apparet. Ergo &c. Confirmatur. Sanguis Christi potest conseruari sub speciebus vini congelati, vt affirmavit Pius V. *in Rubr. Missalis de defect. Miss. §. in hyeme.* Cur ergo sub vino congelato non possit primò produci?

*Ad primum in contrarium dicimus, vinum*

R

con-

congelatum suapte naturâ potabile esse, esto per accidens secundum præsentem statum ( qui tamen facilè mutabilis est ) proximè potari non possit, perinde fere vt panis valde durus absolutè mandibilis est, etsi priùs comedi non possit, quàm humectetur. Ad secundum negamus consequentiam propter disparitatem; nam vinum adhuc inclusum vuis moraliter habetur vt cibus potius, quàm vt potus, quod secus est in vino congelato: Item baptismus essentialiter consistit in ablutione, quæ per glaciem fieri nequit; Eucharistia verò essentialiter non consistit in sumptione seu potatione, quippe perficitur & perfecta manet extra illam; quid ergo mirum, si ad hanc materia apta sit vinum congelatum: non verò ad illam aqua congelata?

XXXVIII. *Gelasia vxor in cognitionem venit adulterij à marito suo commisi, ob quod eisi prorsus adhuc occultum ab ipso discedit, & non expectatâ sententiâ divortium facit tam quoad zhorum, quàm quoad cohabitationem. Queritur. An licitè id faciat?*

Videtur illicitè facere. Ita D. Thom. in 4<sup>o</sup> Dist. 35. q. 1. art. 3. S. Bonauentura, Richardus, Turrecremata & alij, quos refert & sequitur Basil. Pontius L. 9. c. 18. à n. 6. Tum quia matrimonium Ecclesiæ autoritate est celebratum. Ergo absque huius autoritate dissoluendum non est, vt videtur traditum e. *seculares.*